DISSERTATIO

INAUGURALIS PRACTICO-MEDICA

PERTRACTANS

TRISMUM NEONATORUM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREA,

SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN CELEBERRIMA

C. R. ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

Petrus Mahr,

Austriacus Lichtenwarthensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Junii 1841.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Curationis rationem optime molietur medicus, qui futura ex praesentibus praesagit. *Hippokrates.*

Die Kunst des Arztes wohnt zwischen der Ohn- und Allmacht der Natur. *J. P. F. K.*



Domino Domino

LEOPOLDO HENR. BONDI,

POSSESSORI DOMINII KRCZEZOW IN GALLICIA etc.

et

Domino Domino

JOANNO ZEINER,

UTRIUSQUE JURIS DOCTORI.

VIRIS

SCIENTIA, MORUM CANDORE,

NEC NON

HUMANITATE AEQUE INSIGNIBUS,

FAUTORIBUS OPTIMIS

IN

PERENNIS GRATITUDINIS

et

SUMMAE VENERATIONIS

MONUMENTUM

HAS SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS

sacratas esse vult

gratissimus

Auctor.

Lectori salutem!

Ab antiquissimis jam temporibus lege quadam academica sancitum est, ut quisque candidatorum ad compessendam supremam doctoratus lauream themati cuidam scientifico ex vasto artis Hippocraticae campo pertractando eique dilucidando sese accingat, idque publici faciat juris; cui legi longaevitate moris sancitae satisfaciens, pagellas hasce in fidem trado publicam.

Et quatenus ex repetita observatione evictum est, proles ex fervido amoris stimulo genitos longe ex solo officii stimulo procreatis tum formositate, tum ingenio antecellere, eatenus primigenam hancce meam prolem ex invito patris cum musa connubio, ortum suum repetiisse, haud quem fugere, timesco.

In dubiis diu haerebam, quod mihi seligerem thema pro uberiori ac fusiori explanatione nonagies non ruminatum! Hinc pertractandum mihi delegi „*Trismum neonatorum,*“ cujus hucdum exarati haud reminiscor.

Idcirco nequaquam est, quod speres nova audire, benevole lector! nam quare proferam, pro-

pria experientia angustis adhuc circumscripta limitibus, ex virorum clarissimorum operibus collegi, comparandoque in totum componere adnisus sum.

Et me Hercle! quas divinaveram tam magnae rei difficultates, longe majores reperio scribens; ast etsi horreat animus! quem semel protuli pedem, referre nolo, non dubitans. Te, lector candide! primitias perlegere tironis medici nunquam obliturum, et quae manca, nec sat bene ordinata, Tuo ex ingenio benigne suppleturum fore. Te cum elegiacorum antiquo principe praecor:

> Da veniam scriptis, quorum, non gloria nobis
> Causa, sed utilitas officiumque fuit.

Denominatio et definitio morbi.

Trismus (capistrum, tortura oris, a τριζω, strideo) nominatur in genere morbus per spasmum tonicum maxillae inferioris sese manifestans, sub quo vel maxilla inferior superiori firmiter adnectitur, quod agglutinatio maxillae inferioris appellatur, vel ore aperto hoc non claudi potest, quod divaricatio maxillae inferioris appellatur. Saepissime initium et comes tetani.

Trismus neonatorum in specie (Gallis la sarette; Anglis the lock'd Jaw; Italis trismo dei neonati, Tergesti vocabulo plebeo muzze; Germanis, Kinnbackenkrampf neugeborner Kinder) est species tetani, qua praecipue maxilla inferior spasmo tonico musculorum in locum fixum detinetur, atque per aetatem et clima singularem modificationem et magnam atrocitatem acquirit.

Morbus hic recens natis infensissimus, intensitate et duratione in variis regionibus differt, licet et multum ab aetate dependeat. Regiones tropicae Asiae, Africae et Americae, uti India orientalis et occidentalis, insulae Antillorum, Barbados, St. Domingo, Cayennae huic morbo summopere sunt obnoxiae, atque ibidem endemice regnans omni anno major pars de teneris his infantibus hocce morbo decumbunt, atque subito talem vehementiam acquirit, ut infans vix natus post sex aut octo horas jam moriatur. In regionibus Europae caldioribus etiam sat magna saevitate ende-

mice grassatur, uti in Hispania, Insula Minorca, Tergesti, nonnullis regionibus Hungariae, atque, quamquam morbi decursus sit lentior atque vehementia minor, tamen vix non semper lethalis. Sporadice ubicumque observatur, licet in genere sit morbus rarior.

Tempus, quo infantes hocce morbo corripiuntur, varium observabatur; nonnunquam jam primis vitae horis, praecipue, ubi endemice regnat, atque ibidem raro post decimam quartam a nativitate diem. Trismus sporadice observatus rarius primis vitae diebus occurrit, sed quum a causis determinatis dependeat, his agentibus comparet, rarius tamen post annum.

Duratio morbi summopere variat. In regionibus tropealibus vix accedens jam lethalis, ut morbus vix spatium sex aut octo horarum percurrat; quo magis a Zona torrida distat, eo mitior decursus atque saepius octo, quatuordecim dies, sed rarius ultra perdurat.

Nosographia.

Summi momenti est, prodromos, morbum instantem significantes, noscere; nam justa illorum notione medico possibile est, morbo intranti praecavere, et sic quidquam de felici exitu sperare.

Prodromi itaque circiter sunt sequentes: infantes inquieti redduntur, vagitus frequentior est, voce sublimi, forti, sibilante, sugere cupiunt, attamen jam suctionis difficilioris indicia adsunt, dumque sugunt, lac, tissicula et singultu per nares reddunt, caput jactitant, artus distrahunt, corpusque diverso modo contorquent; color cutis in flavum vergit, praecipue albugineae, facies redditur pallida, saepiusque caerulescens, nonnunquam fugax insolitusque rubor faciem modo omnem, modo dimidiatam perstringit; oculi sunt torvi, inquieti, volubiliores aut luscitantes, sub somno semiclausi, bulbo sursum tracto, ita quidem, ut albuginea tantum conspiciatur, nictitatio saepius recur-

rens, lacrimarum secretio adaucta; musculi faciei et labiorum in motu tremulo continuo versantur; ipsa facies et praecipue labia quidquam tumidula; motus maxillae inferioris non liber, atque ubi os exploratur, aegre digito maxilla cedit; lingua sicca, spurca, ejusque apex rubescens, uti in febribus malignis, tota cavitas oris plerumque aphthis obsessa; respiratio ab initio est lenta et aequabilis, postea brevis, anxia, spastica, gemebunda, admixto singultu; abdomen sensile, tumescens, tensum; alvus segnis; urina nunc multa et magis aquosa, quam aetati convenit, mittitur, alias spasticarum affectionum praesaga, nunc parca ejusdem indolis, nonnunquam excretio per plures horas penitus supprimitur; pulsus ab initio fere tardior, sequentibus diebus celerior; somnus interruptus, levis, saepius sub somno observatur subrisus, repentina evigilatio cum clamore conjuncta.

Quamquam ex symptomatibus hucusque recensitis morbum periculosissimum imminentem ab alio morbo spastico vix dignoscamus, tamen ut supra monui, eo major attentio nostra in eum dirigenda erit, quum hucusque tantum in hoc stadio nobis possibile sit, morbum imminentem supprimere. Nonnunquam vero absque prodromis morbus infantes clandestine obrepere atque vix signa ejus adventus per luculentas gravioresque corporis convulsiones dare solet, sed subito vera sua forma ingruit, quod praecipue saepius observatur in regionibus, ubi endemice regnat.

Symptomata mox enumerata vix remittunt, eo minus intermittunt, sed frequentissime sensim sensimque increscunt et in morbum formatum transeunt.

Imago morbi evoluti.

Progrediente morbo mobilitas maxillae inferioris ex toto evanescit, ut haec nec vi majori mechanica,

nec motu totius capitis detrahi, nec sursum tolli potest; saepius superiori adeo adstringitur, ut vix manubrium cochlearis immitti possit; sed non semper maxilla inferior superiori proxime adhaeret, verum nonnunquam aliquot linearum spatium superest, ita, ut os semiapertum conspiciatur, imo nonnunquam et penitus dehiscat; musculus masseter maxillam attrahens duritie lignum aemulatur; suctus per motum maxillae impeditum et per linguae spasmos impossibilis, sicuti et deglutitio ob spasmos pharyngis et oesophagi. Facies coeruleo-rubescens, turgens, cum maculis profunde rubris, mox per reliquum corpus sese extendentibus, notata, vix rubescens uno fere momento iterum pallescit atque collabitur. Oculi ab initio sunt immobiles, fixi, splendicantes, protrusi, quasi inflammati, vel motu clonico sat vehementi per orbitam rotantur, pupillam offerunt dilatatam, serius in orbitam magis retrahuntur, splendorem ammittunt, atque sat larga quantitas materiae sebaceae et muci illis adhaeret; e naribus antea siccis, proluvies quaedam lenta stillat; labia sunt tremula, caerulescentia. Vox acutior, deinde rauca, tandem in obscurum murmur transit, serius penitus intercipitur, quod fit aliquot dies ante mortem. Ex ore effluit materia mucosa spumosa, sat largae quantitatis; respiratio fit stertorosa, anhelans, celer, suspiriis intercepta, laboriosissima. Abdomen et praecordia tument et dolent; alvus ab initio tarda, aridis meconii reliquiis mixta, cum nisu vehementi spasticoque conjuncta, postea redditur liquida, viridescens, spumosa, foetorem intolerabilem spargens, nonnunquam et vomitus sequitur materiae viridicantis, acris, foetentis; urina linteamina colore tingit croceo, modo enuresis, modo ischuria. Ad superiora oritur sudor frigidus; juncturae artuum incurvae contractaeque sunt, extremitates ipsae tument, livescunt et frigescunt, simulque duriores redduntur, quandoque sensim sensimque collum totusque truncus tetano

obrigescunt, praecipue sub exacerbationibus mali. Ante vitae finem status paralyseos sese manifestat. Resolutis colli musculis caput nutat, concursus et vicissitudo quaedam spasmorum et paralysium in musculis faciei observatur, adest dentium stridor, maxillis nihilominus consertis; ore hiante dentes prominent, labia spumosa distortaque sunt, livent, caput profuse sudat, abdomen intumescit; inter haec stupidi et soporosi jacent, donec aut sub convulsionis cujusdam paroxysmo suffocantur aut inter lentum respirationis et stertoris decrementum et spasticos pectoris motus moriantur.

Celeberrimus Petru Frank sequentem imaginem de Trismo neonatorum Tergesti endemico e littera celeb. Protomedici tergestini Doctoris Reuss desumtam statuit: „Post tertium a nativitate diem hic morbus neonatum infantem, etsi partu prospero ac sine ullo morbi aut labis organicae vestigio in lucem editum, etsi bono colore praeditum, voce sonora vagientem, ubera cum sapore sugentem et meconium sat abunde egerentem invadit. Prodromum hujus mali signum plumbei coloris circa labia circulus. Mox voce miseri privantur, ubera cum aviditate quaerunt, sed ob oris constrictionem sugere impediti, pauculum illud lactis, quod nutrix instillat, libere ad stomachum deducunt.“

„Post praevia haec symptomata augetur sensim sensimque pusionum debilitas, vagitus in lamenta permutantur, tremor aliquis eorum ad artus suboritur, extremitates tumefiunt, livescunt, frigidae ac duriores redduntur; donec octava circiter morbi die cum stertore respirantes moriantur convulsi.”

Momenta causalia disponentia.

Causarum, quae dirum huncce morbum in neonatis producere solent, perlonga series ab auctoribus medicis enumerantur, et singulae revera saepe morbo excitando ansam praebere solent.

Sufficiens momentum ad morbum disponens in teneritudine organorum et adaucta receptivitate systematis nervosi invenimus, quum vix ex sinu materno egressi infantes, certi non sufficientem resistentiam influxibus nocivis externis opponere valent; receptivitas adaucta systematis nervosi sub vivida organismi evolutione eadem ratione supprimitur, qua irritabilitas in vita magis magisque manifestatur. Quo tenuior igitur et quo majori receptivitate praeditus est infans, eo magis in huncce morbum inclinat. Observatio ipsa nobis haec clare demonstrat, nam infantes primis vitae diebus frequentius hocce morbo corripiuntur, et eo rarius, quo magis aetate increscunt. Etiam dispositio haereditaria, praecipue a matre inquisita in infantibus praesens, hos in hunc morbum magis proclives reddit. Cognoscitur dispositio haec per corporis structuram justo teneriorem, musculos graciles, ossium tenuitatem, mollitiem partium carnosarum, quae omnia similem teneritudinem nervorum structurae indicare videntur.

Causae occasionales.

Causae morbi excitantes ab auctoribus variis variae proferuntur et inter praecipuas sequentes nobis videntur.

a. Refrigerium saepe qua causa unica hujus morbi observabatur. Inde nobis explicare possumus, cur tam frequens sit in regionibus australibus, quae mutationi athmosphaerae summopere obnoxiae sunt, atque infans vix natus calorem diei cum frigore noctis vix innocue perferre valet; inde et explicare nobis possumus, cur et apud nos occurrat in infantibus, qui huic errori exponebantur; nam stragulis tepidis atque cubiculo moderate calido retinentur et paulo post aëri libero exponuntur. Quod non desint occasiones, ut infantes refrigerium capiant, de his in Dr. J. Zangerl tractatu de convulsionibus aetatis infantilis legimus sequentia:

„Schon bei der Geburt wird oft der bis zum Kopfe geborne Körper nicht gehörig bedeckt; der Neugeborne in einem zu flachen Gefässe oder zu wenigem Wasser gebadet, nach dem Bade von der ungeschickten Hebamme zu langsam angekleidet, hernach selbst bei der rauhesten Witterung nicht selten 1—2 Stunden weit zur Taufe getragen, bei dieser in einer kalten Kirche mit kaltem Wasser begossen; dann aus übertriebenem Eifer für frühzeitige, missverstandene Abhärtung das zarte Geschöpf schon nach den ersten Tagen mit kaltem Wasser gewaschen oder gebadet, bei rauher Witterung, selbst bei strengen Nord- oder Nordostwinden, ins Freie getragen. Wie oft wird nicht von unvorsichtigen Hebammen der schwitzende Neugeborne sogleich aus dem Bette genommen und halb nakt auf dem Ankleidetische liegen gelassen, oder von unverständigen Müttern sogleich der freien oder Zugluft ausgesetzt."

b. Sordes gastricae in infantulo aut jam ante nativitatem praesentes, aut postea generatae saepius huncce morbum causant, sicuti meconium magna copia non evacuatum, lac maternum aut nutricum corruptum in ventriculo haerens, acidum primarum viarum, bilis praeter normam accumulata aut morbose degenerata, abusus purgantium statim post nativitatem ad evacuandum meconium.

c. Animi pathemata matris vel nutricis in infantem, per paulo post illi porrecta ubera, magnas tubi intestinalis turbas, et inde trismum provocasse, saepius visa sunt. Huc referuntur praecipue gaudium, timor, amor infelix, ira, terror, uti Swieten nos sequentibus docet: „Si summa excandescit ira nutrix et imprudens dat ubera infanti, convellitur illico tenellus (uti tot observata docuerunt), dum nutrix defervescente hoc brevi furore nihil mali patitur. Illa ergo mutatio per validum talem animi effectum in humoribus nutricis nata, non potest firmius aetate jam sensorium commune turbare, dum

pauculum lactis, ab irratae nutricis uberibus ductum, tenerum et mobile infantis corpusculum tam misere afficit."

d. Inflammationes, vulnerationes et compressiones partium diversarum saepius qua causae trismum excitantes observabantur. Nonnulli inflammationem umbilici ex nimia constrictione productam qua causam hujus morbi agnoscunt, alii ex levatricum abusu frenulum linguae lacerandi ortum hujus morbi sibi explicant; non minus frequens causa trismum excitans in nimia compressione abdominis per morem saepius usitatum infantulos vix natos majori vi mechanica per fascias comprimendi, jacere videtur. Quamquam saepius evolutionem hujus morbi ex causis vix recensitis derivare debemus, attamen in certis casibus nequaquam nobis sufficientes videntur; nam in regionibus, ubi endemice regnat trismus, saepius infantes ab omnibus influxibus nocentibus removentur, nihilominus morbo corripiuntur; in tali casu certe ad endemicum influxum atmosphaerae refugiendum erit, qui nobis sufficiens momentum sistit, evolutionem in uno eodem loco semper restrictam explicandi. Causae endemice grassantis trismi in variis regionibus ex modificatione et varietate loci sunt quidem variae; attamen ubique fere inter se concordant; sunt regiones magis calidae, ibi adsunt copiosi vapores maritimi paludosi, nunc humiditas, nunc siccitas, dies calidi, noctes frigidae, celerrimus caloris in frigus transitus.

Celeb. Pet. Frank causas trismi Tergesti endemice regnantis inquirens sequentia protulit: „Sed quae Tergestum civitatem soli meridiano minus, quam aliae Italiae magis meridionales partes, expositam hujus mali occasio premeret, hoc quidem indicatu nobis perdifficile visum est. Non interim latet, hanc urbem, quam nos ipsi quondam visitavimus, tum altioris ad radicem montis, tum profundiori ad maris Adriatici ipsas et angu-

stiori territorio exstructam, nunc ab aquilonaris venti turbinibus gelidissimis perflari ac vix non rigescere, nunc vero a solis meridionani radiis, tum a vicinis saxis, tum ipsi tranquilli maris a speculo reflexis, vix non exuri; maximis vero ac subitaneis athmosphaerae mutationibus exponi. A solo quidem aëre maritimo trismum endemicum sub coelo calido produci minus est probabile, sed cum a tergo saxoso, fere igneo et a splendente maris unda solis radii unum quasi in punctum concentrantur, aërisque simul magnae vicissitudines conspirant, nil nobis ad tetanum vel spasmum maxillae in tenerrima nascentis hominis aetate producendum deesse videtur."

Causa proxima.

Quemadmodum natura spasmorum interna generatim, ita et trismi causa proxima in specie hucdum aenigma est, quamvis ingenium medicorum celeberrimorum omnis aevi ad illud solvendum indefesso labore incubuerit. Eo minus nobis spes affulget, fore, ut aliquid plus de ea innotescat, quum systema nervosum quà sedes hujus morbi non obstantibus maximorum in arte medica virorum laboribus, in functione sua et agendi modo parum cognoscamus.

Prognosis.

Medici celeberrimi in statuenda prophetia hujus morbi infausta concordant; nam morbo evoluto vix quidquam de felici exitu sperare licet. Si reflectimus ad paucas illas exceptiones, ubi medicis practicis concessum fuit, proles matribus reddere, revera morbus vix arti cedens dicendus est. Omni tempore a medicis tentata sunt diversissima remedia, sed prognosis eadem

semper permansit. Adsunt tamen momenta plura, quae prognosim in specie distinguere jubent.

Morbus in climate calidiori decursum rapidiorem celebrat, atque majorem vehementiam acquirit; infaustior inde prognosis. Ideo videmus quod medici practici in Guyenna, in insula St. Domingo et Hispania praxim exercentes, de centenis, quos observarunt, casibus, nec infantem salvatum meminerint, quum apud nos medicus vix datur, qui non casu, felici successu coronato, glorietur.

Constitutio infantis prognosim distinguit. Infans debilior, macilentus, gracilior, sensilior, morbo correptus certissime non evadit; hinc infantibus partu praematuro in lucem editis certe lethalis. Medici utcunque hujus morbi periti hanc observationem fecerunt.

Causa occasionalis diversa prognosim in specie variat. Trismus ex causa gastrica ortus, debita therapia adhibita, saepius permittit spem aliquam fovere; ideo videmus methodum antigastricam, saepius felici successu adhibitam, a nonnullis medicis contra hunc morbum in genere laudatissimam. Morbus a refrigerio ortus, saepissime lethalis est, et quamquam decursum saepius longiorem celebrare amat, tamen semper in pejus ruens morte utplurimum terminatur. Vulnerationibus et inflammationibus diversarum partium abactis, saepius apud nos et trismus abigitur; quod vero in regionibus calidioribus nequaquam fit. Vulneribus levissimis absque signis inflammationis accidentibus, trismus accedit post paucas horas lethalis; idem fit in inflammationibus, in quibus vix suppurationis malae indolis signa conspiciuntur.

Constitutio endemica regnans prognosim in specie mutat, quoad durationem et gradum magnam ponens differentiam. Sic Cayennae et St. Domingo morbus qua endemicus brevissimus atque vix ortus rapide ad summam increscit vehementiam. Morbus in Hispaniae re-

gionibus et in Insula Minorca, gradu et duratione Americano vix cedit, quamvis climatis varia sit differentia. In aliis Europae regionibus endemicus vel nonnunquam epidemicus longiorem decursum celebrat, sensim sensimque symptomatibus increscentibus octava die aut serius tandem lethalis fit.

Symptomata et decursus etiam prognosim distinguere jubent. Colli rigiditas, ejectio fluidorum per nares, spasmus extremitatum accedens, emprosthotonos, respirationis difficultas increscens, et spastica pectoris contractio, alvi summe foetentis depositio, virium lapsus ad signa fere ominosa pertinent. Signa, quae spem aliquam fovere permittunt, sunt: contractio musculorum faciei non magna et facies inde non multum permutata, non plena maxillae immobilitas, deglutitio nondum penitus cohibita, spasmus musculorum non ultra faciem progrediens, alvus larga non adeo foetens, sudor largus, vires nondum dejectae. Sudor largus in trismo ex refrigerio orto et exanthema vesiculare per cutem prorumpens qua signa utcunque optata considerantur; sicuti et vomitus in trismo ex causa gastrica orto. Decursus, uti antea diximus, prognosim etiam mutat. Morbo celerrime increscenti vix quidquam opponere valemus; subito est lethalis; morbo longiori tempore durante in infante maturo, robusto et viribus nondum nimis debilitatis, quidquam sperare licet.

Conditiones externae infantis magnum habent influxum in statuenda prognosi. Ad has praecipue pertinet: aëris atmosphaerici qualitas, cura medici et regimen aegri. Aër impurus, non liber, effluviis animalibus impraegnatus, nimis calidus, id quod saepissime in Brephotrophiis videre facile est, certe sistit momentum magnum, quo morbus non tantum im celeri suo decursu non cohibetur, imo adjuvatur. Hinc in Brephotrophiis major mortalitas vehementiaque major, quam

alibi; etsi false nonnulli originem morbi in aëre corrupto Brephotropheorum ponunt, quamquam sistat momentum, quod morbum natum foveat ejusque lethalitatem adaugeat. Cura medici et regimen neonati tandem suumque influxum in stabilienda prognosi exserunt. Ad morbum tam periculosum impugnandum certe summam medicus operam impendat necesse est, attamen sine efficacibus medicaminibus atque magna infantulis cura, nil efficiet. Sed neminem latet, quaenam difficultates certis in casibus his duobus momentis obveniunt. Infanti a parentibus pauperis nato medicus praescribit efficacissima remedia, nec tamen valet eorum pretium imminuere; jam magnum parentum pondus; infans indiget cura die noctuque; tandem parentes post magnum pecuniae et laborum dispendium omnia frustra adhibita observantes in medicum medicinamque diffidunt, saepissimeque hisce casibus natis, plebs, morbum pro insanabili tenens, nil ad infantulum servandum cogitat. Hic modus cogitandi revera eo invaluit in pluribus regionibus, ut parentes nil fere adhibeant contra morbum, quem per traditionem quasi pro insanabili tenent. Et si medico, officio suo debite fungenti, talis morbus apud homines conditionis minoris occurrit, is non solum contra pertinacitatem morbi, sed et contra pertinacitatem parentum pugnare debet, qui gratiam illis illatam nec agnoscunt. Quid in tali casu de prognosi dicendum sit, sponte effluit.

T h e r a p i a.

Quum trismus neonatorum sistat morbum gravissimum, periculosissimum, et saepissime omnis artis medicae conatibus vix cedentem, certe principalis indicatio eo dirigenda erit, ut morbi genesis, quantum fieri potest, praecaveatur. Erit ergo therapia prophylactica in hoc morbo summi momenti. Therapia curati-

va omni tempore diversissimis remediis tentata, sed rarissime felici successu coronata, morbo evoluto instituitur.

Prophylaxis.

Omnium morborum prophylaxis in removendis sedulo causis occasionalibus et in tollenda dispositione ad morbum consistit. Sed quum ex antea dictis elucet, quod infantes jam dispositione connata in lucem edantur, quae tantum per tempus tolli potest, hanc abigere nec in potestate medici versatur. Eo magis ejus attentio in abigendas causas occasionales dirigenda erit.

Quum observatur, morbum saepius ex refrigerio oriri, certe medicus matres attentas reddere debet de influxu saepe lethali refrigerii in neonato, ille praecipue, qui praxim exercet in loco, ubi endemice regnat, et ex minima jam causa agente evolvitur; nam recto ad matres consilio plures infantes servare valet. Hinc custodiantur neonati in cubili amplo, aëre puro repleto, moderate calido, aëri perflanti non exposito, foveantur tantum calore lecti moderato, sint stragulis levioribus et anni tempori convenientibus tecti; mundities summa est observanda et non infantes in linteaminibus humidis per longum tempus derelinquentur; subito post partum non laventur aqua frigidiuscula, sed potius tepida. Baptismatis sacramentum non in ecclesia frigida celebretur, sed domi; aqua sancta non assumatur frigida, sed prius tepida reddenda est; custodiantur a repentina mutatione temperaturae, non aëri libero exponantur primis vitae diebus, imprimis hiberno tempore, aut tempestate rigida. Debite servatis his consiliis matres ex hoc momento in proles parum periculi timendum habent. Quam saepe oritur trismus ex sordibus gastri-

cis in ventriculo haerentibus. Hinc medici primum officium, has leni modo evacuare et ortum novarum impedire. Primam indicationem explet, nec emeticis nec purgantibus, sicuti plures auctores affirmant, sed leniter tantum solventibus, evacuationem absque debilitate producentibus; inter haec eminet syrupus cichorei cum rheo, vel tinct. Rhei aquosa, quod vel sola vel in mixturis debita quantitate porrigitur.

Ad ortum novarum sordium impediendum medicus attentionem dirigat in causas, quae has produxerunt, praecipue ad lac matris vel nutricis, quod saepissime qua causa unica sordium in infantulo accusatur; nam vel quantitate majori infantulis porrigitur, dum eos constringunt ad ubera sugenda, vel clamorem qua solum signum famis considerantes per suctionem mitigare student; nonnunquam aut est nimis pingue aut spissum vel aetati infantis non conveniens; ad haec evitanda medicus matres attentas reddat. Animi pathemata originem morbi praebere saepius visum est; hinc fugiat mater vel nutrix omnem occasionem, ex quibus oriuntur. (Melius si mater iracunda prolem non nutrit, nutrix vero iracunda potius subito abigatur; si vero ira corripiebantur, lac praesens jam secretum evulsione excernant et serius secretum infanti porrigant.) Inflammatio umbilici, rudiori tractamine aut nimia constrictione producta, topice emollientibus tractetur; ad eam vero evitandam suadent nonnulli funiculum quatuor pollicum latitudine ab umbilico resecare, et laxam ligaturam commendant. Penitus prohibendus est abusus levatricum neonatis digito frenulum linguae lacerandi, et si operatio quaedam necessaria videtur, a chirurgo instituenda est. Nimia compressio totius corporis, et praecipue abdominis per fascias, tam nocua quam crudelis, evitanda, et tantum leviori gradu permittenda est.

His debite observatis certe saepissime ortus morbi praecavetur, et eo magis, si justum ex omni parte servatur regimen, quod praecipue ibi inculcandum puto, ubi major pars infantum omni anno hocce morbo pereunt.

Celeb. Pet. Frank matribus tergestinis sequentia suadet: „Mulieribus illius civitatis praegnantibus, saltem gracilioribus, et quarum opes id genus auxilii concedunt, ut partum atque puerperium in loco magis elevato, aperto et ab urbe marique distante absolverent, — quibus vero focum domesticum deserere non licet, ut ullae saltem novem a puerperio diebus, prolem anxie a quovis refrigerio, aestivo quoque tempore tam facili, custodiant, ac ut lacte proprio eoque solo sub debita animi quiete, prolem nutriant, consilio censemus."

C u r a.

Therapia curativa morbi primo contra causas morbum excitantes dirigenda erit, hinc in amovendis, quantum potest, medicus studeat. Morbo vero evoluto, magna nonnunquam premitur difficultas, medicamina infanti porrigendi, quum non tantum maxilla firmiter adtrahatur, sed et deglutitio impediatur; hinc intervallis, quo haec remittunt, medicamina porrigenda, vel vero, si diutius durant, forma magis concentrata guttatim ori instillanda sunt. In trismo, ex refrigerio orto, restituenda est transspiratio cutanea per remedia diaphoretica tam interna quam externa, uti per inf. flor. Sambuci, tart. emet. refracta dosi, camphoram, externe per balnea tepida, his remediis atque regimine adaequato nonnullis medicis licitum fuit aegros servare. Morbo ex causa gastrica orto, remediis emeticis et purgan-

tibus obviam venire debemus, et hoc in casu saepius cum felici eventu sub initio adhibita sunt tart. emet., ipec., calomel, jalappa, clysmata ex inf. cham. cum melle et oleo, quae indicationi satisfecerunt et non frustra merito in hoc morbo invaluerunt.

Quum vero permultae causae morbi evolutionem provocant, et has medicus, si potest, amovere studeat. Sed quum praecipue causae penitus ignotae sint, vel in conditione aëris athmosphaerici, quam medicus amovere non potest, jaceant, medici ex diversis theoriis de natura morbi etiam diversa remedia naturae morbi convenientia adhibebant, inter quae antispastica, sopientia, et sic dicta methodus Stütziana merito hucusque adhibentur. Inter remedia antispastica eminet Moschus, remedium antispasmodicum praecipuum, saepius cum felici successu adhibitum, laudes medicorum omnis aevi secumferens. Adhibetur vel solus, frequentissime cum Opio junctus, forma liquida, cum mucil. gum. arab. in aquis aromaticis, Menthae, Melissae, Chamomillae etc. suspensus; sumuntur circiter grana tria Moschi, quae in totidem aquae aromaticae unciis cum suf. quantit. mucil. gum. arab. suspenduntur, atque omni ½ hora cochlear parvum porrigitur. Castoreum eadem fere vi medicatrice, non tamen adeo intensa gaudet, a nonnullis medicis vero summopere laudatum, simili dosi et forma, quam Moschus adhibetur. Camphora externe tantum cum oleo pingui in linimentum redacta parti contractae inungetur. Ammonia pura liquida ejusque praeparata, praecipue spiritus cornu cervi et spiritus cornu cervi succinatus adhibentur. Ammonia pura liquida tantum externe, aut sola, aut cum oleo in linimentum redacta; interne saepius spiritus cornu cervi succinatus porrigitur ad drachmam semis in aq. arom. unc. tribus, de quo omni hora cochl. parvum sumitur, vel solus quinque ad octo guttas ori instillatur. Aetheres remedium

sistunt, quod indole sua volatili, atque stimulo nervis amico vires dejectas refocillans, atque spasmos solvens, magno cum effectu adhibetur. Radix valeriana viribus antispasmodicis egregiis gaudens, sicuti et flor. cham., herba menthae, melissae etc., sistunt remedia, quae leviori in gradu sola sufficiunt. Adhibentur inf. ex plantis parata; frequentius vero eorum aquae destillatae, qua vehiculum remediorum efficaciorum, nonnunquam eorum tincturae cum remediis aliis sic dictas mixturas concentratas intrant, quae infantibus guttatim tantum instillantur.

Et remedia narcotica ad trismum evolutum debellandum a medicis celeberrimis adhibentur; summa vero circumspectio habenda est, quum nemini non notum sit, effectum facile deleterium ex abusu narcoticorum in organismo tam teneri sequi. Ad praecipua pertinet opium, a medicis celeberrimis in hoc morbo laudatum, a plurimis vero frustra tentatum. Attamen nullo meliori cognito ad hoc et nos refugimus. Non praescribitur in substantia, sed tantum tinct. opii vel simpl. vel crocata aliis remediis stimulantibus intermixta; sic inf. fol. aur., val., cham. Dosis specialis sit ab initio gutta una, et nec ultra tres ascendat. Ob effectum opii facile excedentem et infantibus saepe deletericum, nonnulli praeferunt extr. hyoscyami; solvuntur gr. tria ad sex in unciis tribus aq. arom. atque omni hora cochl. parvum porrigitur, vel gr. sex in uncia tincturae antispasticae solvantur, atque hujus remedii guttae decem omni hora ori instillentur. Belladonna recentiori tempore summopere in hac specie spasmorum laudatur; adhibitur tam interne, quam externe; interne extractum, externe lotiones et cataplasmata. Aqua laurocerasi et acidum hydrocyanicum a pluribus medicis diverso cum successu tentabatur; experimenta ultro instituta forsan nobis magis de virtute benefica horum remediorum edocebunt.

Methodus Stützii in trismo neonatorum sequenti modo adhibetur. Omni 2. hora sumit 10 usque ad 20 guttas carb. lix. alc. soluti cum infuso quodam aromatico, uti cham., valer., fol. aur. Hora intermedia sumit tres usque ad sex guttas tinct. opii simpl.; clysmata ex inf. chamom. cum 20 — 25 guttis carb. lix. alc. sol. parata, bis per diem injiciantur; atque balnea calida cum drachma lix. caust., aut drachm. duabus lix. carb. ter quaterve per diem adhibeantur. Est methodus in tetano et trismo jam a longo tempore laudata.

Remedia externa in hoc morbo summi sunt valoris, actionem internorum multum adjuvant; saepe vero ob nimiam constrictionem maxillae sola tantum adhiberi possunt. Ad haec pertinent clysmata, balnea, inunctiones, rubefacientia et galvanismus.

Clysmata pertinent ad remedia in hoc morbo efficacissima, omni scopo inservientia; scopo alvum aperiendi adhibentur clysmata simpl. pauco oleo et melle mixta; necessaria credimus clysmata aperientia, vel si sordes gastricas per alvum evacuare volumus, vel si torpor canalis intestinalis a majori narcoticorum usu subintrat. Clysmata antispastica ex inf. val., chamom., millef., fol. aur. parantur, vel sola vel additis gum. asae foet., cast., moscho; secundum gradum morbi et diversae efficaciae. Saepissime clysmatibus antispasticis remedia sopientia adjunguntur; summa vero cum cautela adhibenda sunt, et ad eorum dosim magnopere respiciendum est; nam receptivitas pro substantiis narcoticis tractus intestinalis inferioris vix superiori cedit; praecipue opii dosis non excedat.

Balnea tam calida, tam frigida cum successu felici a medicis adhibebantur. Balnea calida vel adhibentur simplicia vel aromatica vel kalina. Quisque a balneorum calidiorum usu levamen subitaneum in hac morbi specie sperare potest. Nam sub balneo spasmi faciei

solvuntur, maxilla mobilior redditur, levis et amoena transspiratio cutis succedit; atque clamore imminuto ad sensum amoenum a balneo productum concludere licet. Adhibenda sunt balnea per quadrantem usque dimidium horae ter quaterve per diem. Summopere vero post balneum respiciendum est, ne aër frigidus aut linteamina frigida corpusculo infantis transspirantis accedant, ut infans, vix e balneo sumtus et celeriter siccatus, linteaminibus calefactis tegatur, atque sic amoena corporis transspiratio sustentetur. Balnea calida spirituosa, aromatica vel kalina efficaciora sunt, quam simplicia; debita vero circumspectione adhibenda sunt, ne eorum virtus nimis acuatur. Pro balneis spirituosis sumitur frequentissime vel vinum vel spiritus vini, et pro aromaticis sic dictae species herbarum aromaticarum. Ad balnea kalina nonnulli medici praeferunt solutionem lixivae carb. prae lixiva caustica; nam praeter effectum quem exserit mitiorem, cutis rubor a balneo ex lix. caust. parato non evitandus, multo minor observatur. Sumitur pro balneo infantis drachma lixiv. caust. vel drachmae duae lixiv. carb. Balnea simplicia frigida, ab Hippocrate jam usitata, nunc medici Angli felici cum successu adhibere volunt; revera qua remedium heroicum consideranda et tantum qua ultimum refugium adhibenda censeo. Rarius adhibentur balnea frigida integra, superaffunditur corpori aqua frigida, atque infans cito siccatus linteaminibus calefactis involutus bene tectus servandus est. Si balnea calida ob impedimenta quaecunque adhiberi non possunt, fomentationes ex iisdem substantiis adhibeantur. Hinc infantuli linteaminibus his substantiis immersis obvolventur.

Inunctiones diversarum substantiarum saepius magno cum effectu, vel si non aliud, cum momentaneo levamine adhibitae sunt. Praecipue si inunctio fit vicinis in locis musculi masseteris, reddit pro tem-

pore maxillae motus et deglutitio permittitur. Oleum pingue simplex communitcr partibus rigidis contractisque illinitur, cui vel camphora, vel ammonia pura liquida vel olea aetherea saepe admiscentur. Scopo sedante conjungitur etiam cum hyoscyamo aut opio. Praecipue commendatur inunctio ex axungia porci cum opio ad processum mastoideum et superiorem partem colli, atque adhibitis paulo post cataplasmatibus ex herb. hyosciami, cicutae, malvae cum lacte paratis saepissime relaxatio maxillae efficitur. Nonnulli ad inunctiones partium rigidarum seligunt ung. merc. ciner. sine aut cum opio, et inde effectum desideratum observarunt.

Rubefacientia modo antagonistico spasmos solventia etiam a medicis in usum trahebantur; abstinendum tamen est ab emplastro cantharidum, ob effectum vehementiorem, et in systemate urinifero facile nocuum; a sinapismis ex farina sem. sinapis cum dimidia aut tertia parte farinae secalinae paratis, a fermento panis cum aceto, ab armoracea omnino effectus desideratus exspectari potest.

Multum nonnulli et a Galvanismo exspectant, quamquam nondum experimenta feliciora pro eo adhibendo loquuntur. Herder sequenti modo in infante novem dierum Galvanismum adhibuit. Infans mediante catenula cum columma Voltaica irritabilitati hujus adaequata ita jungebatur, ut polus negativus maxillis admoveretur. Ab initio exponebatur electricitati liberae per maxillas mananti, serius leves proliciebantur scintillae. Mortui adinstar decumbens catena galvanica clausa inquietus reddebatur, caput elevare atque circa singulos ictus dolorem exprimere coepit. Durante Galvanismi adplicatione motus maxillae inferioris multo liberiores fieri videbantur, os facilius aperiebatur, et spes fausti eventus affulgebat, finita vero applicatione status pristinus rediit. Alii simplex balneum galva-

nicum suadent; infans in balneo calido positus, cum conductoribus polaribus columnae Voltaicae per epidermidem in contactum ponitur, vel receptaculis duobus aqua salita repletis, quorum unum cum polo positivo, alterum cum polo negativo columnae Voltaicae nexum sit, manus infantis imponantur. Experimenta cum magnetismo animali facienda non penitus spernenda essent.

Litteratura.

Andreas Hyacinthus, Descriptio spasmi, maxillam tenentis, inter infantes per Hispaniam endemici. Appendix ad Compendium Riverii.

P. S. Werlhof, Programma de tenellorum convulsione maxillae inferioris in commerciis Noricis 1734, hebd. VI.

Brendel, Programma de spasmo maxillae inf. Göttingae 1751, abgedruckt in dessen Opusculis. T. 1.

Poupée Deportes, Histories des maladies de St. Domingue, Paris 1770. T. I.

I. Ch. Gottl. Ackermann, de trismo commendatio medica, Goetting 1775, deutsch als zweite vermehrte Auflage. Nürnberg 1778. 8.

Heister, Diss. de spasmo maxillae in infantibus.

Georg Cleghorn, Abhandlung von den epidemischen Krankheiten auf der Insel Minorka. Aus dem Englischen. Gotha 1776.

Bartol. Batuna, Memoria sopra il trismo dei fanciulli recentemente nati. Gorizia 1785.

Beaume, von den Convulsionen der Kinder. A. d. Franz. Leipzig 1791.

N. B. Nottbek, Diss. de tetano recens natorum. Goetting. 1793.

Lemzon, Dissertatio de trismo neonatorum. 1802.

Jos. Schneider, Versuch und Abhandlung über den Kinnbackenkrampf neugeborner Kinder nach eigenen Erfahrungen am Krankenbette. Herb. 1805.

Schäfer, Beschreibung und Heilart der gewöhnlichsten Kinderkrankheiten, V. Abschnitt.

De trismo infantum Tergesti endemico. In Frank interpretationibus clinicis observationum selectarum. Tubingae. 1812.

Dr. J. Zangerl, etc. de infantum convulsionibus. Vien. 1834. 8.

Cullen, Haase, Henke, Fleischer, in d. a. W.



Theses defendendae.

I.

Omnis sanatio fit per vim medicatricem.

II.

Sine vis medicatricis cognitione medicus veram sanationis rationem ignorat.

III.

Sanguis per acrimonia contaminari potest.

Hartmann.

IV.

Sanctas naturae violant leges, qui noctem diei, et diem nocti substituere solent.

V.

Das Standfieber hat auf die Witterungsfieber den grössten Einfluss. Kletten.

VI.

Frigus putredini inimicissimum.